



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 126 ad 150

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1765

VD18 15558428-001

Psalmus CXXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

Etissimè complebitur in die iudicii, cùm liberabimur à peccatis, & à pœnis omnibus peccatorum, & à periculo deinceps peccandi.

PSALMUS CXXX.

Titulus, & argumentum: *Canticum graduum.*

David palàm enuntiat humilitatis suæ virtutem, non ut se jactet, sed ut ostendat, se, licet robore, potestate, sapientiâ, & opibus omnibus hominibus sui temporis in Palæstinâ excelleret, tamen non in suis viribus fiduciam unquam posuisse, & ideo debere omnes alios, ad ipsius exemplum, in solo Deo sperare, ut ait v. 5. Psalmus est ex gradualibus unus, quia docet, in quo humilitas vera consistat, & nulla est via securior ad ascendendum humilitate, dicente Domino: omnis, qui se humiliat, exaltabitur.

v. 1. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.

Securus Propheta, quòd vera dicturus esset, Deum ipsum alloquitur, quem nemo fallere potest. Dicit autem co-
ram

ram Deo, se vitio superbiæ nunquam fuisse obnoxium, sive cor internum, sive signa oculorum externa considerentur. Multi superbi in corde suo, extrinsecus humilitatem simulant. Multi & supercilio elato, & corde tumido proximos suos contemnunt. David uti erat humilis corde, sic humilitatem oculis præferebat.

v. 2. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.

Dixit de superbiâ cordis, & oculorum; nunc addit de superbiâ verborum, & operum. Aliqui jactant, se posse facere, vel fecisse, vel esse facturos majora, & mirabilia, quàm revera possint; imò aliqui præsumunt aggredi, quæ superant vires; primi ambulant, sive ascendunt super se verbis, secundi etiam factis: David in verâ humilitate fundatus ait, ab utroque se abstinuisse.

v. 3. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.

v. 4. Sicut ab lactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.

Non contentus Propheta, ipsi Deo, qui corda scrutatur, dixisse, se ab omni

superbiâ semper abhorruisse, idipsum confirmat juramento execratorio, ut tantò major fides ipsius verbis ab omnibus habeatur. Dicit igitur: *Si non humiliter sentiebam de me ipso, sed exaltavi animam meam;* sicut infans recens ablactatus manet in sinu, vel super genua matris suæ, mœstus, & plorans, quia privatus est dulcedine lactis, quæ pro illo tempore summæ deliciæ ipsius erant: sic anima mea privetur dulcedine consolationis Divinæ, quæ meæ potissimæ, ac solæ deliciæ sunt. Quantum sit hoc supplicium, quod sibi Propheta sanctissimus imprecatur, soli intelligunt, qui eodem spiritu repleti gustaverunt, quàm dulcis sit Deus.

V. 5. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Ex hâc Psalmi conclusione intelligi potest, quò tendat illa humilitatis prædicatio: non enim vir verè humilis propositum habuit se laudandi, sed hortandi populum suum ad spem omnem in solo Deo collocandam. *Speret Israel &c.* Si ego Rex, & Propheta, non me efferre audeo propter potentiam, & sapientiam,

entiam, neque de me ipse præsumo, sed omnem spem meam in Deo collocatam habeo; certè par est, ut populus meus Israel, qui etiam populus Dei est, non se existimet aliquid esse, cùm nihil sit; neque in viribus suis confidat, sed speret in Domino, & non hodie solùm, aut cras, sed omni tempore speret.

PSALMUS CXXXI.

Titulus, & argumentum: *Canticum graduum.*

Psalmum hunc vel Salomon composuit, cùm, ædificato templo, intulit Arcam Domini in locum ei præparatum; vel certè compositum à Davide, sibi que datum ad concinendum post templi ædificationem Salomon cecinit: id patet ex fine C. 6. L. 2. Paralip., tum ex totâ serie hujus Psalmi, ac præcipuè ex v. 10. Continet Psalmus ad literam primò ardentissimum desiderium Davidis ædificandi templum; Secundò petitionem ad Deum, ut stabiliatur Regnum, in domo David, ut sanctificentur ministrè Domini, & alia id genus, juxta promissiones antea Davidi à Deo factas.

B 5

ratur